

Quoque mage offundunt sese , nova copia major  
 Suppetit , ac diti profluit ex animo ,  
 Numquam ostensa prius , numquam prius auribus hausta ,  
 Se blande & cupidis sensibus insinuat .  
 Non mi adeo obtusum pectus ferus Adria , durum  
 Non adeo ingenium mi dedit Illyria ,  
 Hunc modice ut mirer . Proh quæ in miracula sese  
 Vertit ! quas formas accipit , ac species !  
 Omnes ille vices , atque omnes callidus artes  
 Et scit , & arbitrio versat , agitque suo .  
 Nunc rapido tonat ore : alto de vertice montis  
 Raucifono torrens murmure præcipitans  
 Inter saxa videtur , & hac trahere lundique , & illac  
 Cum stabulis pecudes , cumque satis nemora .  
 Nunc placide loquitur ; leni velut agmina Ganges ,  
 Ganges extremis finibus adveniens  
 Æthiopum , Ægyptumque humectans flumine Nilus  
 Labitur , ac placido gurgite sternit aquas .  
 Quid cum idem exultans lascivit ? ceu vitreus fons  
 Nativa rupis profilit e latebra  
 Suave sonans , pronoque volutus vertice præbet  
 Solamen gelidos dulce siti latices ;  
 Inclusus domini aridulo vel divitis horto  
 Florum æstu in medio germina hiulca rigat ,  
 Puniceamque rosam , violasque , & mollem hyacinthum ,  
 Nympharumque decus lilia Hamadriadum .  
 Quid dicam ut Thuscæ purissima lumina linguæ ,  
 Omnigenisque lepor mirus inest numeris ?  
 Quid dicam ut cunctis sua lecta vocabula rebus ,  
 Grandia magnificis , tenuiaque exiguis ;  
 Quæque suo ut fulgent apte perfusa colore ,  
 Quaeque ut nativo lumine amicta placent ?  
 At quamquam eloquium formas ita verset in omnes ,  
 Judicio & linguæ fræna diserta regat ,